


Disputatio Medica Solennis De Scorbuto Megapolensivm

Rostochii: Typis I.I. Adleri, [1754]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1698836945>


Druck Freier  Zugang





5434

MK-5434.
~~MK 1582.~~



DISPV TATIO MEDICA SOLENNIS
DE
SCORBVTO
MEGAPOLENSIVM.

Q V A M,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO
DOMINO FRIDERICO
PRINCIPE HEREDE MEGAPOLITANO, VANDALORVM
SVERINI ET RACEV RGI, COMITE ITEM SVERINENSI,
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DYNASTA,
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.

ADNVENTE IATRIAPXA COELESII
ET
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVL TATE MEDICA,
SVB PRAESIDIO
DN. GEORG. CHRISTOPH.
DETHARDINGII

SERENISS. DVC. REGNANT. MEGAP. CONSIL. AVLIC. COLLEGII
DVCAL. PROFFESS. ET FACVLT. MED SENIOR. ET A. H. A. DECANI,
DIE XXI FEBR. MDCCLIV.

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDO,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBJICIT
IOACH. FRIDER. ZIEGENHAGEN


PRACT. GRABOVIENS.

R O S T O C H I I
TYPIS I. I. ADLERI, SEREN. DVCIS ET ACAD. TYPOGRAPHI,

1754

DISPUTATIO MEDICA SOLEMNIS
DE
SCORBUTO
MEGALOPOLISIVM

RECTOR AC ACADEMIAE VANDALORVM
SERENISSIMO PRINCIPIS ET DOMINI
DOMINI FRIDERICI
HEREDI HEREDUM VANDALORVM
SVMME ET HACERVGI, COMITE ITEM SVBIVENSIS
TERRARVM ROTVNI ET STABERGDIAE PRINCIPIS
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO



CONSENTIENTI AC ACADEMIAE MEDICAE
DELLARDINGII
SVMME VSS. DVCE MEGANT. MEGAS. CONSIL. AVVIC. COLLEGI
DICALI TRIPLEX ET PAVLET. MED. SENIOR ET A. H. A. DECANI
DIE MEDICAE MEGANT.
PUB. GRANDE DICTORIS
PUB. GRANDE DICTORIS
PUB. GRANDE DICTORIS
IOACH. FRIDER. ZIEGENHAGEN

W. V. W.



P R A E F A T I O.



Si unquam dispositio quaedam corporis
humani praeternaturalis, occulta in-
dole, tacito progressu, et symptoma-
tibus protheiformibus, alias aegritudi-
nes quandoque mentientibus, vel illis sociatis,
Medicos in diversas adduxit sententias, sane dy-
scrasia scorbutica huc referri meretur. Sunt ete-
nim, qui cum DRAVITZIO causam Scorbuti
in sale acri et vellicante collocant, quam alii,
praeunte WILLISIO, in prava fluidi nervei
constitutione, et sanguinis vappescentia quae-
runt. STAHLIVM secuti, venam portae accu-
sant, in qua sanguis, ex vita sedentaria et victu
falso, grumosus et spissior redditus, hinc tarde
procedens, moliminibus haemorrhoidalibus an-
sam suppeditat. Plurimi victui crasso, crudo
et salito genesin Scorbuti adscribunt, quod alii

A 2

cum

cum GERBEZIO iterum negant, ad exemplum Tartarorum provocantes, qui alimentis usi crassissimis, v. g. carne equina sub ephippio quodammodo macerata, et a Scorbuti insultibus plane immunes existunt. Jmo RVDIGERVM statuisse, humorum nostrorum corpuscula justo nobiliora, ex corpusculis lymphae justo nobilioribus oriunda, Scorbuti fomitem esse, ejus discipulus GORN, in Disputat. de *Scabie*, Halae 1718. habit. p. 56. asserit. Ex recentissimis, quos inter HOFFMANNVM nominasse sufficiat, fundamentum dyscrasiae scorbuticae in corruptione sanguinis, et succorum vitalium, à vitio diaetae ortum trahente, ponere consueverunt. Medicorum dissensus talis, in determinandis natalibus atque qualitatibus Scorbuti, peperit itidem varias, et contrarias opiniones de ejus praesentia atque frequentia. FORESTVS Lib. XX. Obs. 2. novum illum morbum vocat, antea incognitum, alii e contra Scorbutum HIPPOCRATI et PLINIO jam innotuisse perhibent. Viguit olim unanimis fere opinio, in locis maritimis et septentrionalibus hunc morbum esse endemium, id quod ex recentioribus haud pauci strenue pernegant. Sic PIPER in Disp. de *Scorbuto Daniae non endemio* sub praesidio Cel. ALBERTI habitae, conterraneos suos ab hac

infi-

S A

infi-

in simulatione vindicat; in quo negotio itidem occupatur von DOEBELN in Dissert. de *Scorbuto Svecis non endemio*, Londin. Goth. habit. imprimis huc referri meretur erudita Disputat. D. D. ESCHENBACHII, Practici Rostochiensis famigeratissimi, de *Scorbuto maris balthici accolis non endemio*, sub Praesidio B. D. BURCHARDI, Professoris quondam in Academia haecce celeberrimi, habita. Controversiam hanc meam facere nolo; non possum tamen, quin, duce experientia, profitear, tantum numerum scorbuticorum in terris nostris borealibus, mari vicinis non reperiri, ac quidem vulgo creditur, et ignorantiae subinde Medicorum tribuendum, qui morbos anomalos et corruptos scorbuticis haud raro adnumerant. Et ne quid dissimulem, hodiernis temporibus pauciores adhuc, quam olim scorbuticos deprehendi, non sine ratione, mihi persvadeo, causamque infrequentiae hujus, praesertim in copiosiori sorbillatione infusi foliorum Théè, qua nostrates admodum delectantur, collocandam esse censeo, qua mediante, sanguis adtenuatur, impuritates resolvuntur, haeque per emunctoria corporis, praesertim per renes et cutim è corporis proscribuntur pomeriis. His tamen non obstantibus, Scorbuticos hinc inde detegere licet, verè tales, sive quod

rudimenta hujus mali, datis criteriis collectivis, rite examinandis, sese sistant, sive quod amplior factus morbus, signis suis pathognomicis se manifestet. De argumento proinde Disputationis inauguralis practico circumspicienti placuit, pertractare symptomata, Scorbuto in Patria obvio, familiaria. Haud equidem me fugit, ingentem jamjam reperiri medicorum numerum, qui Scorbuti historiam memoriae prodidere, ut sub iterata ejus delineatione, crambem jam saepe coetam me recocturum viderer. Nova quoque non polliceor, satis quippe habiturus, si specia- liora saltem momenta scopo meo conformia in medium produxerim. Prouti enim mor- bus unius generis, ratione climatum, vitae indo- lis, aliarumque causarum procatarticarum ad- modum variet, vid. D. ALBERTI Disput. de *Morborum gradu differenti pro locorum diver- sitate*, ita et symptomata Scorbutum comi- tantia discrimen aliquod admittunt. Laborem hunc meum, summus languorum nostrorum Medicus, ex alto secundatum esse jubeat!



S. I.

§. I.

Scorbutum Megapolensium adumbraturus, praemondendum esse duco, generalem et exquisitam hujus morbi, ejusdemque indolis, causarum, et phaenomenorum singulorum hunc stipantium descriptionem praemittendam, supervacuum plane opus me posuisse, cum jam satis in negotio hoc absolvendo desudaverint Medici quam plurimi, et monumenta sua hunc in finem perlegenda, cum orbe erudito communicaverint. Consignationem saltem haec Dissertatio comprehendet symptomatum Scorbuti specialem, quam, in praxi clinica apud conterraneos meos versato, observationes plurimum annorum suppeditarunt, et quarum disparem quandam conditionem, Authores varios consulendo, hinc inde deprehendere licuit. SENNERTVM forte si exceperim, cujus sciagraphiam Scorbuti, cum symptomatibus, quae hujus loci aegroti sentiunt, potissimum conspirare, expertus sum, ut proinde in animum induxerim, hujus celeberrimi Viri vestigia persequi, et collatis signis morbo delineando propriis, subjunctisque subjungendis, explere promissa.

§. 2.

Quantumvis hic adfectus sub initio clandestine satis sese insinuet, prodit tamen se languore aliquali, citra causam quandam evidentem, vel alius morbi cujusdam suspicionem, una cum levissima oris siccitate, omnis fere fitis experte; aut, si quando haec adfuerit, facile tamen à tantillo humidi levatur, modo quod brevi temporis intervallo redeat. Sub hoc languore, vel lassitudine, sunt, qui phlogosès interdum experiuntur, quae vero a negotiis
 sive

svetis administrandis aegros non prohibent. Adpetitus quoque satis viget, imo in quibusdam intensior deprehenditur. Adcedit pedetentim angustia quaedam circa praecordia, transitoria quidem, ast subinde recurrens, nulli causae manifestae adscribenda, cui nec dolor ullus, vel tussis, vel adfectus quidam pectoris jungitur. Urinae admodum variant, et nunc sanorum similes citrinae, ast tenuiores. nunc crassae, et plus minus saturatae rubedinis observantur; in aliis leniter livescunt, et intenso-rubrae, similes fere illis, quas febris ardente correpti reddere solent. Quod, si crassae fuerint, et rubrae, nec tales permaneant, demittunt ad fundum sedimentum fursuraceum, et arenosum; sicubi vero clariores fuerint emissae, et abhinc mox turbidae fiant, licet ad fundum albicantes quaedam particulae subsideant, haud tamen clariores exinde fiunt, sed turbidae permanentes, pingvi quadaem viscositate, parietes matulae obliniunt, quo vero \square statu afflictus magis langvere, quam aegrotare deprehenditur. Pulsus sub hujus morbi initio, analogus illi fere existit, quem febricitantes sub primo paroxysmi febrilis adcessu offerre solent, parvus scilicet, creber, sed inaequalis.

§. 3.

Quod si fundamentis ita positis, morbus hic ingravescat, languori recensito sese sociat obtusus quidam crurum dolor, praesertim in suris, quae tensae etiam sunt, citra aliam quandam causam obviam, tactu duriores; pedes tam stationem longam, quam ingressum negant; aliquando in plantis pedum punctiones molestae, et in cruribus dolores lancinantorii ingressum impediunt. Conspicui

spectui insuper sese sistunt hinc inde, praesertim in artubus maculae, primo minores, mox majores, ut plurimum sublividi, vel violacei, rarius rosei, vel nigricantis coloris. Adcedit respirationis aliqua difficultas, imprimis sub motu corporis, et angustia praecordiorum sensim ita invalescit, ut digitis locum sub diaphragmate, ut plurimum sinistrorsum versus, indigitare possint aegri, ubi impedimentum haereat. Faciei insuper color immutatur, et roseus quondam transit in cineritium et subpallidum, aliquando etiam in lividum, ut labia ipsa luridum colorem prae se ferant, praesertim, si corpus leniter exercuerint. □ tales, quales, in §. praecedenti descriptae, nisi quod nunc plura, nunc pauciora corpuscula, polentae fractae non dissimilia forment, et ponderis quidquam habere videantur, dum non adeo facile, mota quamvis matula, in altum surgant. Sic proserpit malum latius, et gingivas quoque attingit, quae intumescentes, lenissimo contactu, sanguinem stillant.

§. 4.

Sub graviore tandem morbi incremento, langvor ad impotentiam usque ambulandi increscit, angustiae adeo augentur, ut ex leni corporis motu, vel quando sese in lecto erigere contendunt, non modo metum lipothymiae incurrant, sed vere animus deficiat. Maculae non tam sparsim artus occupant, sed aliquando una quasi macula omnem tibiam tingit, et deformem reddit. Gingivae exulcerantur, ex atro livent, mephitim spirant, et abscedunt, atque dentes ipsi, nigredine praevia, corrosi, frustillatim cadunt*. Crura amittunt robur corpus sustinendi, et resoluta videntur, modo quod lenis

cb

B

in

in illis motus musculorum fit residuus, cujus subsidio subinde in plano incedere valent aegri, fulcro cuidam innitentes

* Hocce symptoma, quod Stomacace audit, infantibus admodum familiare, et nutrimento eorundem impuro potissimum adscribendum. Quando v. g. adhuc teneriores existunt, pulmenta vel juscula a mulierculis cochleatim eisdem porriguntur, hac methodo, ut prius portionem quandam, ore assumant, saliva commisceant, et tali ratione inquinatam, detestabili spectaculo, pusionibus offerant. Succis harum, ut plurimum vetularum, impuri, salivam gignant itidem contaminatam, necesse est; haec tenellis exhibita fermentationi humorum putridae ansam suppeditat, prius in ore, et abhinc per totum corpus se manifestanti. Novi infantem a parentibus indulgentius justo habitum, qui masticationem non didicerat, sed omnia esculenta ab aliis sibi praemasticanda curabat, sola de glutitione eorundem contentus: Huic non tantum dentes carie infecti ceciderant, sed et gingiva putrilagine insigni infestata, maxillas in consortium corruptionis redegerat, donec septimo aetatis anno, febris lenta fuerit exstinguebatur. Pariter praematura carniū oblatio nostratibus familiaris, infantibus aegritudinem hanc conciliare potis est. Ventriculus siquidem eorundem adhuc tenerior, et decenti tono nondum instructus, necessariae carniū subactioni, et conversioni in chylum haud est sufficiens. Restitantes ergo particulae, beneficio caloris interni, et succorum admixtorum, putrescunt, teste anima foetida, et lumbricis exinde enatis; putrilago cum chylo commixta sanguinem et salivam inficit, atque gingivas molles, multoque sanguine refertas facile corrumpit.

§. 5.

Nec caret hic adfectus dolorosis molestiis. Siquidem praeter memoratum dolorem crurum, qui aliquando

do adeo increfcit, ac fi offa contufa exifterent, et praeter modo dictas lancinationes in pedibus, et sub plantis pedum, vagi dolores juncturas offium quandoque perreptant, erratico more, modo has, modo alias obfidentes, et arthritidis vagae, five fcorbuticae nomine venientes. His praefentibus, afflictis haud integrum eft, membrum libere movere, quin externa ope, et nonnunquam admodum molefte, fibi fubveniant, fed quae impotentia abhinc, una cum doloribus ceffat. Si quando haec fymptomata diutius corpus exercuerint, vel mala adcefferit medicatio, dolores hi articulares non aequè tranfitorii deprehenduntur, ac fub morbi initium, fed longius et firmiter continuant, maxime, fi femoris articulationem cum acetabulo offium innominatorum, et vertebrae dorfi corripuerint. Alios vexat dolor alterius maxillae cum odontalgia connexus, nunc per intervalla repetendo, nunc ad hebdomades, imo menses ufque continuando, ita tamen, ut fub auroram recrudescant, et de die in tantum remittant. Nonnullis moleftus eft dolor quafi pleuriticus, auctus fatis, fed a vera pleuritide facile diftinguendus, cum nullam tuffim, vel excretionem aliquam, vel febrim acutam habeat comitem. Econtra hic dolor per intervalla repetit, pulfu perfiftente parvo, et inaequali. Imprimis vero colici dolores, iftis, quos corripunt, funt graviffimi, et cruciatus, lancinando et quafi rumpendo, intenfiffimos per intervalla inferunt, ad convulfivos motus interdum increfcetes,

§. 6.

Pariter excretionum varias fpecies fiftit haec aegritudo. Sunt, qui falivam copiofe rejiciunt, aliquando falfam, aliquando dulcem, irregulari tamen modo, ut nunc cre-

bro repetat, nunc diutius absque remissione duret, aut sine ullo levamine. Quibusdam, citra quod de ventriculo fuerint conquesti, vel alia quaedam evidens causa praecesserit, vomitus est per intervalla molestus, quo glutinosa exspuuntur, qui, tantum abest, ut remediis vomitum alias compescentibus cedat, ut magis inde afflictis angantur, et pejus se habeant. Remittit vero subinde sponte sua, et citra opinionem, aut aequae improviso repetit, cum satis acutis ventris torminibus, praesertim cholerae si imitatus fuerit. Nonnunquam meri observantur vomendi conatus, cum anxietate summa conjuncti, citra quod notatu dignum quid excernatur. In quibusdam alvus quidem frequens est, sed quae excernuntur, quantumvis mole cibum adsumptum superent, compacta sunt, coloris variantis. Quod si vero liquidiora fuerint, qualia phlegmatici reddere solent, et cibi huc conferentes suggerunt, aequae tamen quantitate assumpta vincunt, citra morbi remissionem dies noctesque promiscue continuant, atque diu infestant. Si stipticis cura tentatur, malum incrementum, cum gravissimis angustiis, et animi deliquio. Mensibus vero subsistentibus, et haemorrhoidum fluxu subito cessante, facile sanguis excernitur, plerumque citra notabilem quandam doloris sensum. Interdum haemorrhagia narium corripiuntur aegri, refractaria satis, et lipothymiam in sensibilibus facile post se trahente.

§. 7.

In externa corporis superficie pruritus interdum satis acutus percipitur, sed, qui frictioni facile parens, ad tempus cessat. Maculae supra indigitatae haud raro in pustulas commutantur, sed et hae, absque praeviis maculis,

lis, visui sese exhibent, granula vel acinos vix superant, et purpuram rubram quandoque mentiuntur, imo illi nonnunquam sunt intermixtae. In nonnullis illas variegati, rosei nempe, violacei et fusci coloris, imprimis in tibia deprehendere licet. Pustulae modo recensitae coalescentes in ulcera mali moris abeunt, parum ichoris foetidi fundentia.* In quibusdam tubercula tactu dura, et varicosa offenduntur, in aliis tumores majores, et profundi, qui prouti satis diu, citra spontaneam corruptionem subsistunt, nec doloris quidquam inferunt, quamdiu pars in quiete conservatur; ita exulcerati, praesertim per infausta medicamenta, in gangraenam, imo et carcinomata abire possunt. Interdum sphaelus in digitis pedum, sua sponte exoritur, ita, ut ablato, manu chirurgica, digito corrupto, brevi temporis intervallo, sequens emoriatur, donec ultiores pedetentim progressus faciens sphaelus miseris finem fecerit.

* Observantur subinde in nostris oris, apud tenellos infantes, exanthemata, ex Scorbuto et Scabie humida quasi conflata, quae a muliereculis der Baringrund nuncupantur. Occupant totam superficiem corporis, nec facie quandoque excepta, pustulas formant majores, minoribus interspersis, quarum plurimae pus, vel saniem fundunt pruritu et ardore misellos vehementer excruciant, ut dies noctesque summa inquietudine se torquentes, ejulatibus dolores urentes detegant. Imo eo usque in nonnullis, hujus mali augetur vehementia, praesertim, si fomes morbi non arceatur, et incongrua fuerit adhibita medicatio, ut vel tota cutis quasi excoriata videatur, vel retropulsa exanthemata brevi calamitosos jugulent. Pereunt autem utplurimum convulsio nibus. Origo adfectus hujus miseratione digni varia esse solet. Nonnunquam conductae nutrices, ex inopia, laudabili victu et amictu destitutae, impurum sanguinem, et

cutis immunditiem sibi consciscunt, efflorescentiis pravis cutaneis, imprimis scabiosis, se manifestantes; has sulphuratis, aut aliis his non absimilibus remediis repellere norunt, ne ad lactandum accersitae iterum dimittantur, sicubi hae in cute, vel manibus adparuerint. Sic sanguini adhuc intermixtae heterogeneitates, una cum lacte pusionibus instillantur, per peripheriam abhinc exitum quaerentes, cute nutritis manente illibata, ut in suspensionem communicati contagii venire non possint. Eadem valent circa matres infantum impuris succis refertas, quippe qui jam in utero, aut mediante lactatione, infanti communicari possunt. Si his adhuc jungatur abominandum illud, saliva vetularum commixtum nutrimentum, et squalor externus, morbus in deterius ruat, necesse est.

§. 8.

Febriles itidem motus passim experiuntur scorbutici, qui incautis, quod modo tertianas, modo quartanas, modo quotidianas imitentur, pro veris febribus imponunt. Vt plurimum tamen erratico et inconstanti ordine invadunt, ita, ut horripilationes sint magis molestae et graves, quia angustia praecordiorum inde augetur, sed vel nullus aliquando calor, vel certe moderatus satis insequitur. Refrigerationes istae, ad sex vel octo horas quandoque protrahuntur; vel in medulla spinali, ac si aura frigidior illam transfret, sensus frigoris obrepit, calor vero magis ariditate faucium, et siti, quam aliunde molestus est. In his vero variationibus nullam certam periodum vel temporis vel diei observare licet. Pulsus, quamvis sub initio magnus, interdum et durus deprehendatur, mox tamen ad pristinum sui in scorbuticis morem recedit, i. e. parvus, celer et inaequalis, praesertim in declinatione paroxysmi
tangi-

tangitur. □ aliter, quam in veris febribus, tenues sunt, et citrinae, obscure livescentes, si crasso-rubrae fuerint, nulum sedimentum laudabile deponunt.

§. 9.

Quantumvis motus isti febriles, typum intermittentium accurate magis observent, quas inter quartanae et quotidianae magis familiares, facile tamen tum pulsu a veris febribus sese distinguunt, qui inaequalitatem suam, et parvitatem sub paroxysmo quoque servat, quum □ facie, quae, crassa, et plus minus rubra permanens, sedimentum quidem offert crassum, et furfuraceum, ast clarior inde non superstat, ut declinationis febrilis inde indicium peti possit. Differunt quoque hae febres a veris intermittentibus, ratione symptomatum; dolores etenim adesse solent artuum lancinatorii, sub febris accessu, ipsa febrile molestiores, spasticis tendinum stricturis sociati; in aliis ex improvise suboritur maxima in somnum proclivitas, ut eo fere sepeliantur. Imo quandoque hae febres in alios morbos degenerant, citra quod solida quaedam ratio huius metaschematismi detegi queat. Quando hae febres scorbuticae morem continuae alicujus induunt, ut plurimum lenta magis harum est conditio, non enim tantus calor, vel tanta fitis in his familiaris apprehenditur, aut, sicubi adfuerit, anxietas tamen supra memorata, vel angustia praecordiorum, per intervalla repetens, una cum pulsu inaequalitate et langvore, illos ab aliis febribus continuis certo distingvit.*

* Dubium moveri possit, annon descriptio harum febrium, malignis epidemicis magis competat, utpote in quibus eadem fere symptomata apprehendi solent. Ast, nec hae a diathesi

thesi scorbutica immunes semper existunt, sub propullulantibus quandoque exanthematibus se manifestante, et malignas febres exasperante. Quod vero febres scorbuticas acutas a mere malignis distingvit, in typo irregulari potissimum est repositum. Febres malignae simplices versus noctem ut plurimum exacerbantur, horis antemeridianis quodammodo remittentes, Scorbuticae sunt irregulares, quin potius noctu mitescant, et circa auroram capiant augmentum. Febres malignae numero dierum septenario, mediante critica quadam evacuatione solvuntur, Scorbuticae e contra febres talem solutionem ignorant. Febres malignae magis existunt contagiosae, quam Scorbuticae. In ore, scorbuticas febres stomacace, malignas autem aphthae indigitare solent. etc.

§. IO.

Supereffent adhuc varia hic commemoranda, ast sufficiat, potiora scopo meo destinata momenta protulisse. Sanguinis scorbuticorum e vena missi mentio adhuc injicienda. Hic a sanguine hominis sani haud parum discrepat, ut resoluta fere videatur. Sub initiis hujus morbi nigricat, viscositate quadam refertus, et refrigescens, cuticula tenaci livida obducitur. Malo vero ingravescente, serum a sanguine magis separatur, majori quantitate, et loturae carniū similis adparens, spiffiore et maculoso sanguine fundum petente. Ad ἀκμὴν si pervenerit aegritudo, praefertim, si febriles motus se sociaverint, tenuis conspicitur, ex resolutione putrida, coagulationi non idonea, quam putrilaginem odor gravis infimul indicat.

§. II.

Sciagraphia haec scorbuti incolis Megapoleos quidem competit; crediderim tamen, vel me tacente constare,

stare, non omnes Scorbuticos recensita serie, ordineque hoc morbo adfligi, quin maxime eosdem inter deprehendatur differentia. Haud pauci siquidem Scorbuto multos annos infestantur, molestiarum gravium expertes, sive quod diaeta, sive medicatio progressui morbi obstiterit. In nonnullis celeri gradu incedit aegritudo, in aliis pedetentim proserpfit. Discriminis ratio in diversitate temperamenti, aetatis, sexus, virium, et vitae generis quaerenda.

§. 12.

Quomodo Scorbutus à malo hyponchondriaco, item à lue venerea differat, non est, ut multis referam, brevitate ergo ad IVNCKERI *Conspectum Medicinae Theoretico-Practicae* Tab. XCII. provocans, quo characteres unicuique morbo proprii figillatim expenduntur. Hoc unicum saltem addere placet, nullam impuritatum Scorbuticarum et Venerearum esse cognationem; plus etenim simplici vice observasse licuit, mediante salivatione in subjecto scorbutico, et simul lue venerea correpto instituta, omne virus venereum esse extirpatum, restitante tamen dyscrasia Scorbutica, ex quo infimul elucescit, licet salivatio Scorbuticos non offenderet, hanc tamen eisdem nullius fore utilitatis.

§. 13.

Causam Scorbuti materialem, missis hypothesibus ingenium sapientibus, in actu putridis, massae sangvineae inexistens heterogeneitatibus reperiendam esse, cenfeo, utpote quae partes solidas et sensibiles acrimonia sua vellicando, spasmis, doloribus, et convulsionibus ansam suppetitant, tonum fibrarum debilitando, languorem,
C
somno-

somnolentiam, et lipothymiam inducunt, viscera infarciendo, anxietates excitant, partes molles et externas in consortium corruptionis trahendo, ulcera mali moris, et exanthemata maligna gignunt, et transitum humorum liberiolem per vasa capillaria sufflaminando, febrilibus motibus irregularibus velificantur. Ad causas occasionales referenda alimenta in putrilaginem abeuntia, imprimis carnes animalium rancidae et putrescentes, quibus haud pauci, necessitate coacti, vel ex avaritia vescuntur, quorum et referendae carnes ferinae putres, quales nobiliores imprimis, tanquam palato magis gratas deamant; aquae in puteis stagnantes, graviores, quas nostrates *hartes Wasser* nuncupant, solutioni ciborum minus aptae; dyspepsia ventriculi, et exinde oriunda cruditas nidorosa; vita sedentaria cum animi moerore conjuncta; aer uliginosus, frigidus, vel putrescentibus effluvis refertus, ex quo est, quod secundum relationem Dn. Praefidis, Rostochii in cellis habitantes plebeji subinde Scorbuto infestentur, et ex his imprimis, qui porcos insimul alunt, et cum eisdem commune occupant dormitorium, asseribus saltem paucis homines a porcis separans. Nec minus per contagium Scorbutum in alios propagari posse, experientia docet, quod mediante saliva potissimum contingit, sive quod nutrices vel matres, modo supra recensito nauseabundo, infantibus luen hanc concilient, sive ex una patina cibos cochleatim capeffentes, hos saliva a cochlearibus secedente imbuant. Vltiorem quidem explicationem causarum scorbuti, et harundam effectuum adjicere possem, ast otium mihi fecerunt HOFFMANNVS in *Medicin. Rat. Systemat. Tom. IV. P. V. Cap. I.* nec non supra laudatus D. ESCHENBACHIVS in *Disp. citat.* ad quos Authores B. L. brevitatis ergo remittere volo, §. 14

§. 14.

His suppositis, facile ratio patet, cur eventus Scorbuti salutaris spontaneus non sit expectandus, sed temporis tractu, si causae ejusdem continuaverint, nec justa adcesserit medicatio, perniciosus esse possit. In nonnullis Atrophia subsequi solet, nulli alii causae vel aegritudini tribuenda, carnosus partibus, prouti in hectica fieri sivevit, sub langvore contabescentibus. Eo magis haec metuenda, sicubi sudori, sponte, citra causam aliam notam prorumpenti, otium permittatur. Alios paralytici adfectus excruciant, quos praecedunt nunc membrorum tremor, & exsolutio per vices cessans, & repetens, item stupor eadem facilitate involans & abiens; nunc tumores eadem, qua irruunt, velocitate iterum disparentes, modo quod sub ortu, membrum, quod obsident, leniter, ast momentanee exsolvant. Imo aliquando omnes tendines membrorum resolvuntur, ut nec incedere aegrotus, nec brachia adtollere potis sit. Praesertim vero paralysis haec scorbutica observatur a praegressis gravissimis abdominis & intestinorum doloribus, quando hi vel acrius continuaverint, vel, quod solennius, illi infaustis medicaminibus, v. g. opiatis, fuerint sublati. Grave quoque est, si febri-les dictos motus spasmodicae comitatae fuerint tensiones, vel absque febre, membra varie contorqueantur, & contorta per tempus quoddam permaneant. Nullum tamen symptoma diuturnum magis, & omnem fere curationem respuens deprehenditur, quam hydrops, pedes primum, mox abdomen distendens, foveam a digito impresso non aequae relinquens, prouti id in aliis hydropis speciebus observare licet, si huic adhuc orthopnoea, sive difficilis admodum respiratio, sub angustiis praecordiorum cito insul-

tans, aut cito resiliens sese sociaverit, exitus lethalis brevi metuendus. Eadem fata premunt apoplexia, lethargo vel caro correptos scorbuticos, a quibus brevi temporis spatio jugulantur. Sunt itidem afflicti, quos coangustatio praecordiorum, et respirationis interceptio, subito et inopinato extinguit; nec minus vomitus vires tandem prosterendo quorundam fata accelerat. Ulcera si evaserint gangraenosa et carnes depascentia, tantum non semper aegros in vitae periculum conjiciunt. Medicamenta itidem sanguinem exagitantia mortem maturare consueverunt. Fortunata e contra scorbuti cura expectanda, si methodo debita, mox sub principio, aetate juniore existente, obtemperante aegro, sub aere puriori illa suscipiatur. Cum e contra in senibus, feminis, et pueris negotium hoc difficillime procedat, imprimis quando in ultimis haereditarii quid subfuerit.

§. 15.

Curationem hujus refractarii mali quod concernit, haud opus esse reor, pluribus eandem describere verbis, cum tot jam deprehendantur in famigeratissimorum Clinicorum libris monita salutaria, totum negotium fere exhaurientia, ut hisce vix quidpiam addere liceat. Ne tamen plane ασύμβολος videar, brevissimis eandem adumbrabo, quatuor indicationes complectentem (1) ut omnis occasionalis causa, crasi isti vitiosae favens subtrahatur, (2) Humores vitiiati corrigantur, (3) Impuritates blande evacuentur, et (4) symptomatum ratio habeatur.

§. 16.

Primam indicationem, maximam partem, absolvit diaeteticum regimen, ut aer uliginosus, inclusus, frigidus-humidus et impuris

puris effluviis refertus commutetur cum aëre moderate sicco, libe-
riori ac claro; sive hoc ipsum tentetur, penitus deserendo aërem
pristinum, secedendo in loca remotiora et salubriora, sive com-
mutando domus, conclavia, plateas, cum aliis ferentioribus, et li-
bero aëri magis patentibus, sive frequenti suffumigiorum usu, bac-
cis juniperi, succino, thure, storace, etc. excitato. Quoad cibum,
quamvis crassior victus curationi impedimento sit, nec tamen ad-
svetis adeo damnosus, ac quos asperior fors ad illum insvetos
cogit. Exulent tamen omnia esculenta, in putrilaginem abeun-
tia, imprimis carnes putridae, pingves et rancidae, placenta, fari-
nacea, pultacea, et quae alvum reddere possunt obstipatam. Jus-
cula carniū recentium ipsis carnibus magis commendanda. In
magis cholericis acidiuscula commode conceduntur; phlegmaticis
vero embammata ex sinapi, et radice armoraciae parata conveni-
unt. Potus aquae purae quam maxime quidem conducere, pro
attenuando sanguine, resolvendis impuritatibus putridis, hisque,
modo insensibili, per colatoria organa educendis; at, cum pau-
cissimi nostratium huic potui sint adsveti, potius ex praedictio
praconceptae opinionis, ventriculum inde debilitari autument,
sveta cerevisia quidem permittenda, hac tamen cautione, ut sit
tenuis, probe defaecata, & lupulata. Si antiscorbuticis, praeser-
tim radice Enulae, mediante fermentatione, acuat, haec ceteris
preferenda. Vinum non interdicendum, praesertim isti ad-
svetis, & aquam puram bibentibus, at generosa, orgasmum san-
guinis excitantia quovis modo fugiantur, nostratibus conducet
Rhenanum vel Gallicum non mangonizatum, imo herbis antiscor-
buticis leniter impraegnatum. In motu corporis moderato, &
saepe repetito, maximum collocandum esse scorbuticorum praesi-
dium, experientia dudum confirmavit, hoc etenim humorum
motus tam intestinus, quam progressivus optime promovetur,
sanguinis moleculae comminuuntur, spissiores ab invicem divel-
luntur, ut secretioni abhinc magis evadant aptae. Gradus motus
pro diversitate individuorum et virium determinandus, huic ad-
sveti fortius corpus exercere possunt, si vires id permiserint, aliis
equitatio, ambulatio, vel vectura svadenda. A labore suscepto et
per-

peracto, haud mox omnimoda, sed successiva insequatur quies. In somno et vigiliis observent aegri debitum moderamen, et a Venere plane abstineant. Animus fervetur tranquillus, et omnia ejus pathemata graviora, quoad ejus fieri poterit, quovis modo fugiantur. Tandem studeat aegrotus excretionibus omnibus et singulis, tam naturalibus, quam ex consuetudine familiaribus, quorsum et negotium haemorrhoidale referendum.

§. 17.

Altera indicatio, quae correctionem humorum scorbuticorum involvit, omnium optime aquosis et diluentibus obtinetur, in sufficienti quantitate haustis. Si enim aqua, certo respectu, dici meretur medicina universalis, sane virtutem suam egregiam in dyscrasia scorbutica exferere valet, quatenus visciditatem corrigit, circulum humorum liberiores per viscera et vasa promovet, volaticos aestus temperat, et impuritates evacuationi magis aptas reddit. Hoffmannum l. c. hunc in finem praesertim fontes extollit medicatos v. g. Carolinos, Egranos, Selternos, Wildungenses, Emsenses, sive puros, sive cum lacte commixtos, quando viscerum infarctus et cachexia, vel affectio hypochondriaca et purpura diathesi, scorbuticae se junxerint; nec praerogativa quaedam hisce aquis mineralibus est deneganda, quandoquidem praeter, memoratam virtutem diluentem et distemperantem, putres sibi cohaerentes moleculas magis incidunt, et insimul per colatoria corporis organa blande educunt. Quibus ex inopia et indigentia non concessum, hisce aquis, aliunde advehendis, uti, vel ipsos invisere fontes, aquae simplices fontanae, purae, leves, facile per maeandros corporis transeuntes commendandae, sive solae, sive herbis antiscorbuticis, quas inter cochlearia, nasturtium aquaticum et trifolium fibrinum eminent, acuatae. Egregiam itidem opem praestat serum lactis citratum, succis herbarum antiscorbuticarum impregnatum, tempore vernali imprimis eligendum, Cholericis, sanguineis, et motus febriles

les expertis, acidiuscula magis conveniunt, qualia sunt acetosa, acetosella, succus Cifri, ribium, ceraforum nigrorum recentium etc, quibus modo laudatum lactis serum vel praeparatur, vel adjungitur. Pariter Melancholicis et Phlegmaticis, amara et temperata aromatica magis concedenda, quae inter Carduus benedictus, Scordium, Trifolium aquaticum Fumaria, radix Gentianae, Zedoariae, Aronis, Cichorei, Enulae, strobuli Pini, Cortex Winteranus seligi possent. Nostratibus in usum potissimum veniunt flores acaciae recentes, et radix armoraciae, sive raphani rustici. Illos vel cum lacte decoquunt, vel loco Thee cum lacte commixti, tempore matutino forbillant. Hanc cerevisiae formentanti, vel vino addunt, et medicatum, tali modo, potum tempore matutino et vespertino adhibent, atque effectum saepe laudabilem exinde persentiscunt. Monendum tamen circa bina haec euporista. (1) Infusum vel decoctum florum acaciarum his minime conducere, quorum alvus est obstipata, et ab hoc medicamine non referatur, magnas etenim turbas subinde in oeconomia animali excitare valet, praesertim, molimina si haemorrhoidalia insimul adfuerint (2) Radices armoraciae in infusis non nisi phlegmaticis, vel de hoc temperamento participantibus permittenda esse, quandoquidem calidioribus et siccioribus temperamentis anxietates, et nimium exanthematum Scorbucorum proventum, excitare valet. Sunt qui turiones Sambuci, ex superstitiosa persuasione, pro vomitu vel dejectionibus alvinis, pro lubito promovendis, vel sursum vel deorsum decerptos, sub forma infusi adhibent, ast non nisi robustiores generosum hocce remedium, absque noxa evidenti, perferre possunt.

§. 18.

Quod si harum indicationum justa fuerit habita ratio, vix est ut tertia morbus hic indigeat, cum avtocratia Naturae sub conveniente Diata, sibi ipsi, in eliminandis tali modo praeparatis heterogeneitatibus, ut plurimum sufficiat. Sin secus, per cutis spiracula eas educunt Infusa Theiformia ex radice Sarpillarum,


parilla, China, Scorzonerae, Ligno Sassafras, floribus Sambuci etc. parata: per guttur inferius illas proscribunt Rhabarbarina, Sennata, Mannata, Tamarindinata: mediante urina evacuari possunt decocto radicum V. aperientium minorum, baccarum Juniperi, seminis Dauci, &c.


§. 19.


Quartæ indicationi quidem satisfacere vellem nisi temporis penuria, & Typographi festinatio flum hic abrumpere juberet. Sicubi tres præcedentes saltem ex voto successerint, parum negotii facebant symptomata, quin sponte sua cessabunt. Si autem, durante adhuc ægritudine, nimium excrucient, & sui remotionem velint, vel sublato morbo, ex consuetudine continuent, jam exercitatissimi in hoc negotio Clinici, scriptis suis talia suppeditarunt his medendi adminicula, quorum vestigia legere quis tuto poterit. Eadem dicta sunt de cautelis circa venaefectionem, scarificationem, vomitoria, purgantia, Salivationem &alem, adstringentia, ac opiata &c. observandis. Ad hos

Authores ergo B. L. ablegando, huic Disputationi bono cum DEO impono

F I N E M.







ascula magis conveniunt, qualia sunt acetosa, Citri, ribium, ceraforum nigrorum recentium laudatum lactis serum vel praeparatur, vel ad Melancholicis et Phlegmaticis, amara et temperata magis concedenda, quae inter Carduus bene Trifolium aquaticum Fumaria, radix Gentianonis, Cichorei, Enulae, strobuli Pini, Cortex possent. Nostratibus in usum potissimum veterae recentis, et radix armoraciae, sive raphani vel cum lacte decoquunt, vel loco Thee cum tempore matutino forbillant. Hanc cerevisiae vino addunt, et medicatum, tali modo, potum et vespertino adhibent, atque effectum saepe persentiscunt. Monendum tamen circa bina (1) Infusum vel decoctum florum acaciarum nocere, quorum alvus est obstipata, et ab hoc moderatur, magnas etenim turbas subinde in occidere valet, praesertim, molimina si haemorrhad fuerint (2) Radices armoraciae in infusis naticis, vel de hoc temperamento participanda esse, quandoquidem calidioribus et sicmentis anxietates, et nimium exanthematum eventum, excitare valet. Sunt qui turiones resistiosa persuasione, pro vomitu vel dejectione cito promovendis, vel sursum vel deorsum decursu adhibent, ast non nisi robustiores generosum, absque noxa evidenti, perferre possunt.

§. 18.

harum indicationum justa fuerit habita ratio, morbus hic indigeat, cum auctoritate Naturae Diata, sibi ipsi, in eliminandis tali modo praeparationibus, ut plurimum sufficiat. Sin secus, eas educunt Infusa Theiformia ex radice Sarpillarum,